



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Cap. XVII. Ad c.18. & 19. X. de Elect.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

Mutinesibus alias Nutriensibus Abbatibus. Additur in 3. compilatione, & preposito Vercellensi.

Pennensis
Episcop.

Cap. 17. inscribitur Pennensi Episcopo. Penna vel Pinna, *Citta di Penna*, urbs est Episcopalis Vestinorum in Aprutio antiquâ gentis Farnesiæ. Hic Episcopatus unitus est Atriensi, sub Archiepiscopo Theathino regni Neapolitani.

CAP. XVII.

Ad c. 18. & 19. X. de Elect.

S U M M A R I A.

- | | |
|-----------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------|
| 1. Cap. 18. & 19. agit de electione
Metrop. Capuensis. | 4. Explicatur capitulum. |
| 2. Emendatio inscription. | 5. Vice Regiâ, quid. |
| 3. Electio inter tres menses faci-
cienda. | 6. Innocent. III. tutor testamentari-
us Friderici II. |

Cap. 18. &
19. agit de e-
lectione
Metrop. Ca-
puensis.
Emenda-
tio inscri-
ption.
Electio in-
tra tres
menses fa-
cienda.
Explicatur
capitulum.

Cap. 18. desumptum est, ex c. 3. eod. tit. in 3. Compilatione. Scriptum ad Capitulum Capuanum: Conjungendum autem est cum capite sequenti petito ex eadem compilatione, c. 4. Utrumque enim pertinet ad electionem Metropolitanam Capuensis. Emendanda itaque inscriptio cap. 19. & pro Archiepiscopo, scribendum Archidiacono. Archiepiscopus enim nullus tum erat, quippe mortuus apud Panormum & agebatur de alterius electione. Quæ electio fieri debet intra tres menses ex concilio Chalcedonensi *can. 25. can. quamvis dist. LXXV.* Sed potest tamen id tempus arctari à Capitulo & absentibus brevior terminus præfigi. In hoc igitur capite nostro à Capitulo Capuano non amplior terminus quàm duoecim dierum datur absentibus, ad Electionem perveniendi causâ, quod probat Pontifex hac ratione, quod terminus trium mensium constitutus sit favore Capituli, cui, tanquam juri pro se introducto, liceat renunciare, maximè si periculum sit in morâ, neque etiam vocandi sunt, qui Episcopi obitum præsentialiter cognoverunt, ut loquitur Innocentius in nostro cap. id est, illi qui præsentibus fuerunt tempore morientis. Episcopi non debent vocari. Neque enim certiorari debet, ut loquuntur nostrates *l. 1. fin. ff. de Act. Em.* qui non ignoravit.

Et

Et mandat porrò ut electione canonicè factâ, nuncios ad se mit-
tant, per quos à Pontifice vice Regiâ postuletur assensus. Quare *Vice Re-*
verò vice Regiâ? Cur præter confirmationem Pontificis, etiam *giâ, quid.*
jubetur, postulari assensus vice Regiâ? Interpretibus hic hæret a-
qua, ut videre est apud Abbatem Panormitanum hic. Sed ratio *Innocent.*
ex historia ejus temporis petenda. Constantia, vidua Henrici VI. *III. tutor te-*
Imperatoris & Regis Neapolitani testamento tutelam Friderici, *stamentariis*
filii sui impuberis Innocentio III, & sedi Apostolicæ commise- *Friderici II.*
rat. Itaque in universo regno Neapolitano & Principatu Capuæ
vices Regis & domini gerebat, ut Tutor Friderici pupilli. Dupli-
cem ergò gerens personam Pontifex & Regis & Pontificis, assen-
sum quidem suum vice regiâ sed gratiam Apostolicæ confirma-
tionis ut Pontifex desiderabat. Ergone Reges ac Principes con-
currunt ad electionem Episcoporum? Ita sanè prout pluribus à
nobis tractatum est ad dist. LXIII. publicè, superiore anno cum
Gratianum explicarem.

CAP. XIIX.

Ad c. bonæ memoriæ. 23. de Elect.

S U M M A R I A.

- | | |
|------------------------------------------------------|---------------------------------------------------|
| 1. Species capitulis. | 5. Ordines in partes scissi. |
| 2. Conradus, Comes de Witelsbach. | 6. Sigfridus confirmatur à Pontifice. |
| 3. Odium Innocentii III. erga Philipp. Ducem Svevia. | 7. Judicium Ulpergensis super electione Sigfridi. |
| 4. Criminatur eum ap. Imperii ordines. | 8. Cur Pontifex postulationem Lupoldi rescidit. |

Elegans species est hujus capitulis : Conrado Archiepiscopo Moguntino, Comite de Witelsbach, diem functo, lis fuit in Ecclesiâ Moguntinâ, super electione novi Episcopi. Litis hujus causa existit odium Pontificis Innocentii III. adversus Philippum Svevum Ducem : Vix fama de morte Henrici VI. Imperatoris percrebuerat, cum Philippus, ut exequeretur fratris Henrici VI. testamentum celerrimè ex Hetruriâ sese in Germaniam proriperet, Imperiique proceres, promissi, quod filio Hen-

Species capitulis.

Conradus, Comes de

Witelsbach.

Odium Innocentii III.

erga Philipp. Ducem Sve-

via.